

MILETEN.-NICOTRIEN.-TROPIEN.

**Beatificationis et canonizationis Servae Dei Francisci Mottola Sacerdotis dioecese-
sani Fundatoris Instituti Saecularis Oblatarum S. Cordis (1901-1969).**

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« In Christo Iesu per evangelium ego vos genui » (*1 Cor 4, 15*).

Haec verba Beati Pauli apostoli, dum spirituale quoddam parentis munus in fide scienter affirmant, ad vitam et opera Servi Dei Francisci Mottola, qui tamquam exemplar dioecese-sani sacerdotis effulsit, usque redundant. Hic Servus Dei nobili, quamvis iam prolapso genere natus est Tropeae, in regione videlicet Catacensi, in Bruttis, die 3 mensis Ianuarii, anno 1901, biduoque post baptis-
mate sancto rite ablatus est.

Primam aetatem, quam ceterum ipse pia hominum societate degit, voluntarius matris interitus contristavit: qui quidem eventus ingenium pueri vehementer excruciat, qui deinceps immatura fratris morte amplius exercitus est. Etiam propter haec animus adolescentuli, qui interea seminarium ingressus erat, procul dubio magis magisque conformabatur, non solummodo alacritate, intellegendi vi, poetico spiritu, verum etiam magnis quibusdam exceptionibus, ut puta iracundia, nimia diligentia et severitate, sollicitudine, litium cupiditate, superbia. Attamen tempus, quo suo ipse ingenio excolendo operam dedit, vere palaestra conversionis fuit, qua adolescens, cum interiorem vitam corroboravit, tum, quid Deus de eo statuisset, gradatim adquisivit, adeo ut animus haud simplex ad actionem divinae gratiae promptus tunc inveniretur, cum Franciscus sacro presbyteratus ordine insignitus est.

Servus Dei in variis campis pastoralibus ministerium exercuit: nam idem sacras conciones habuit, sacramenta impertiit, pietatis magister fuit, litteris artique diurnariorum operam dedit, caritatem re adhibuit, incepta spiritualia et culturalia instruxit.

Cum autem factus esset rector seminarii dioecese-sani, in quo ipse praeceptor et animorum moderator antea fuerat, vigilans ac prudens iuventutis magister evasit, sed maxime auctor qui animos omnium inflammaret, idemque promptus cum ad dignoscendas temporum notas, tum ad quaerendas occasiones bene faciendi, quas quidem nova societatis fermenta postulabant.

Zelus eius expressus est etiam per varia incepta apostolica, quae ipse summo sese devovendi studio usque promovit. Nam idem pro certo semper affirmavit

non modo religionis sensum animique culturam nulla dilatione clero dioecesano penitus instauranda esse, quod quidem ipse fovit per fraterna concilia, precationis studiique causa habita, sed etiam laicos apostolicae navitati implicandos esse, utpote qui, tamquam fermentum, veram societatis progressionem efficerent.

Eminet in vita Francisci charisma oblativi amoris, quod ipse, dum id omnibus indefesse proponit, summa constantia exercuit. Ex hac iudicandi ratione intellegitur etiam cur ipse Actioni Catholicae operam navaverit multaque incepta promoverit, quibus voluntario munere infirmi, pauperes, senes, homines a vita sociali exclusi, orbat, inopes denique, re sublevarentur; sed etiam cur ipse pluries conatus sit quasdam formas congregationis sacerdotum vel laicorum creare, in quibus principem quidem locum obtinet Institutum saeculare Oblatarum a Sacratissimo Corde.

Servus Dei maxima scripta exaravit, in quibus ipse, dum animum praesertim ad res Ecclesiae Bruttiorum intendit, etiam ad maiora proposita de re theologica, ascetica, mystica spatiat. Multae commentationes, quae ipsa elegantia animos legentium alliciunt, fidei fundamenta et facta eius temporis tradunt, dum sermonem cum hominibus, qui eo tempore erant, constanter conferunt, ideoque ingenii vim, animi hominem perspicaciam, gravem denique doctrinam auctoris ostendunt. Quae igitur ipse de animi cultura proposuit, cum eorum caput esset necessarie Christus, genuinum humanismum christianum breviter describere possunt.

Cum autem sacerdos hic per integrum vitae suae curriculum proelio contra indocilem naturam, qua ipse praeditus erat, numquam abstinuit, tum humanas eius exceptiones fides perfecit et superavit. Experientia, quam Servus Dei spiritali usu accepit, exstructa est circum nucleos quosdam, qui in hoc potiores habendi sunt. Ipse enim per orationem rerumque caelestium contemplationem fidenter divinae Providentiae se tradidit; summa religione Cor Iesu in eucharistico convivio prosecutus est, qui pietate quoque erga Deiparam claruit; caritatem, tum in Deum, tum in proximum, herois in modum exercuit; voluntaria sui ipsius refrenatione studioque aliis officia praestandi eminuit; denique humilem, severam, pudicam rationem vitae inivit.

Labentibus annis, infeliciter accidit ut precariae valetudinis indicia manifesta fierent, adeo ut morbus quidam, per viginti septem annos productus, dolorem assiduum ei afferret. Franciscus autem, animi tranquillitate gradatim adeptus, precandi fervorem atque apostolicam navitatem adauxit, Christi passionibus, tamquam conscia victima, socius factus, Crucisque mysterium

amore ac simplicitate amplexus. Mox vero corporis dolores etiam aegrimoniae, eaeque propter aliorum invidiam et inclementiam, cumularunt, quibus animus eius valde afflictus est.

Servus Dei in patria mortuus est die 29 mensis Iunii, anno 1969.

Ob increbrescentem sanctimoniae famam Exc.mus Episcopus Nicotriensis-Tropiensis Causae beatificationis et canonizationis initium fecit per Inquisitionem dioecesanam, a die 11 mensis Februarii anni 1982 ad diem 29 mensis Iunii anni 1988 conditam, cuius vim iuridicam haec Congregatio de Causis Sanctorum ratam duxit per decretum die 22 mensis Iunii, anno 1990, latum. Positione confecta, die 23 mensis Martii, anno 2007, habitus est Congressus Consultorum Theologorum, qui, postquam more tralaticio disputarunt num Dei Servus evangelicas virtutes in gradu heroico exercuisset, suam favorabilem aperuere sententiam. Amplissimus denique Purpuratorum Patrum et Antistitum Coetus, in Comitii Ordinariis quae die 6 mensis Novembris, eodem anno 2007, gesta sunt, audita relatione Exc.mi D.ni Hieronymi Grillo, Episcopi emeriti Centumcellarum-Tarquiniensis, Causae Ponentis, agnoverunt Franciscum Mottola, Dei Servum, theologales et cardinales iisque adnexas virtutes, heroico quidem in gradu, exercuisse.

Facta postmodum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per infrascriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Beatissimus Pater, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, subsignata die pronuntiavit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Francisci Mottola, sacerdotis dioeceseos Tropiensis, Fundatoris Instituti saecularis Oblatarum S. Cordis, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Mandavit autem Beatissimus Pater ut praesens decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 17 mensis Decembris A. D. 2007.

IOSEPHUS card. SARAIVA MARTINS
Praefectus

L. ☒ S.

☒ Michaël Di Ruberto
archiep. tit. Biccarensis, *a Secretis*